

de hoc timore Christi senserunt, ut constat ex Cyril., lib. 4 in Joan., c. 1; cum enim dixisset, Verbum nihil timere, subdit: *Caro autem factum permittit carni suæ, ut propria patiatur; et ideo tanquam verus homo mortem in januis existentem pertimescit.* Idem fere Chrysostomus, hom. 14 in Matth.; et Damasc., lib. 3 de Fide, c. 23, referens Athanasium, qui hoc habet lib. de Incarn.; idem Leo Papa, serm. 7 de Passione Domini; et Cypr., serm. de Passio.; Ambr., lib. 2 de Fide, c. 3. Ratio vero est, quia hic affectus est naturalis homini passibili, cui imminet aliquod malum, et est innoxius, et poenalis, et accommodatus ad veritatem naturæ et poenæ demonstrandam; non est ergo cur assumi non potuerit, et debuerit.

3. *Responsio. — Confutatur.* — Ad objectionem autem factam ex corpore articuli divi Thomæ, respondet Cajet. aliud esse loqui de Christo simpliciter, aliud vero secundum quid, id est, secundum inferiorem portionem; in Christo enim simpliciter non potuit esse incertitudo futuri eventus, quia saltem per rationem superiorem omnia sciebat; tamen in parte inferiori, seu cogitativa, potuit esse apprehensio mali futuri, abstrahendo ab hac certitudine, quia potuit ratio superior non communicare illam inferiori; et ita, licet in Christo simpliciter et absolute non potuerit esse timor, quoad incertitudinem eventus, tamen in portione inferiori Christi potuit esse hujusmodi timor, quod satis est ut in eo fuerit verus timor sensibilis; quam sententiam videtur prius docuisse Richard., in 3, dist. 15, a. 3, q. 4, ad 4. Sed hæc responsio imprimis aliena est a sensu D. Thomæ; aperte enim hic loquitur de appetitu sensitivo, ut patet, tum ex art. 4 et sequentibus, tum quia expresse in littera ita dicit: *Timor potest considerari quantum ad duo: uno modo, quantum ad hoc, quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis læsionem, etc.* Unde in utroque membro suæ distinctionis evidenter loquitur de Christo secundum eandem rationem et potentiam. Deinde hi auctores videntur supponere, in Christi voluntate non esse timorem, sed tantum in appetitu sensitivo, quod falsum esse ostendam infra, q. 18. Quod si fortasse in ipsa voluntate distinguant portionem superiorem et inferiorem, et in hac dicant fuisse timorem, non in illa, redit eadem difficultas, quia voluntas non movetur nisi a iudicio intellectus; in intellectu autem Christi nullum fuit iudicium nisi certum, et infalli-

bile, ut supra ostendi; cum ergo iudicabat mortem sibi imminere, iudicium illud erat omnino certum, præsertim quia ex scientia infusa procedebat. Unde fit tertio, etiam in cogitativa facultate animæ Christi non satis intelligi illam apprehensionem mali futuri cum abstractione a certitudine, quia cogitativa non apprehendebat vel iudicabat de futuro malo, nisi ex communicatione et consortio intellectus; sed, ut ex dictis patet, illa cognitio existens in cogitativa oriri non poterat, nisi ex certo iudicio intellectus; ergo non poterat esse nisi certa, eo modo quo hæc inferior potentia participare potest certitudinem, seu apprehendere objectum ut certum et infallibile. Et confirmatur, nam, sicut Aristoteles dixit, secundo Rhetoric., c. 5, timorem esse de malo incerto, ita dixit non posse esse timorem nisi ubi potest esse evadendi spes; sed non potuit Christus, etiam per appetitum sensitivum, habere spem evadendi mortem; ergo nec potuit habere illum timorem, qui cum incertitudine futuri eventus conjunctus est.

4. *Vera responsio, quid sit de ratione timoris.* — Respondetur ergo aliter, negando hanc incertitudinem mali futuri, seu spem evadendi, esse de ratione omnis timoris veri; fuga enim mali absentis, seu nondum in re ipsa existentis, aliquando tamen futuri, est verus timor, etiam si illud malum evitari non possit; hoc enim non minuit rationem mali, sed potius auget; unde ex hac parte non impedit timorem, sed constituit potius quemdam specialem gradum ejus, quem videntur vocasse stuporem Damasc., lib. 2 de Fide, c. 15; et Gregor. Nyssen., lib. 4 Philos., c. 4. Neque obstat quod tale malum propter suam certitudinem existimetur ut præsens, et jam ingerat tristitiam; quia, cum re ipsa sit absens, adhuc relinquit locum aliquem timori, cum quo illa tristitia conjuncta esse potest, imo quodammodo in illa fundari. Quod videtur satis posse suaderi argumento a contrario sumpto, contrariorum enim est eadem proportionalis ratio; constat autem bonum futurum, etiam si omnino certum seu inamissibile apprehendatur, non ideo excludere spem, ut aperte constat in animabus Purgatorii, in quibus vera est spes consequendi beatitudinem, quia nondum illam consecutæ sunt, quamvis certissime cognoscant se illam consecuturas absque ullo impedimento. Ex qua certitudine et spe consequitur in illis magna consolatio et gaudium, et excluditur omnis timor amittendi

illam beatitudinem; ergo idem proportionaliter dicendum est de timore, nam sicut se habet spes ad futurum bonum arduum, ita timor ad malum.

5. *Duplex actus timoris.* — Ad explicandam vero sententiam Aristotelis, quem D. Thomas est secutus, distinguere possumus actum timoris, sicut alios actus appetitus. Dupliciter enim haberi potest. Primo, per modum actus absoluti et efficacis. Secundo, per modum cuiusdam actus imperfecti, seu simplicis displicentiæ, quæ nolleitas dici solet. Quando priori modo fit, requirit ut malum futurum apprehendatur ut evitabile, et consequenter ut aliquam spem evadendi relinquat; quia talis actus efficax versatur circa objectum, quod, pensatis omnibus, simpliciter existimatur possibile. De hoc ergo timoris modo locutus est Aristoteles, ut colligi potest ex ratione quam subjungit, dicens: *Timor enim ad consulendum inducit, nemo autem de re consulit, de qua nulla est spes.* Et quia hic timor supponit ignorantiam mali futuri, ideo vocat illum Damascen., a ratione aversum, et negat illum in Christo fuisse; et eundem vocat D. Thomas timorem secundum incertitudinem futuri eventus. At vero alter timor per modum actus simplicis et imperfecti potest esse circa malum, iudicatum inevitabile; quia hujusmodi actus imperfectus versari potest circa rem impossibilem; sicut enim potest quis desiderare vitam actu imperfecto, etiam si alias iudicet non posse hic et nunc fugere mortem, ita potest fugere vel formidare mortem, etiam si illam ut inevitabilem apprehendat. Et hic timor fuit in Christo, quem Damasc., lib. 3, c. 23, dicit esse naturalem, quia est quasi coactans et retrahens animam a naturali incommodo, et oritur ex concupiscentia commodi naturalis; hunc etiam vocavit D. Thomas simplicem fugam mali futuri, quam sentit esse verum ac proprium timorem, et affectionem ab odio et tristitia distinctam.

6. Primum argumentum D. Thomæ facile est. De testimonio vero Hieronymi ibi citato dicemus statim.

7. Secundum argumentum sumptum est ex testimonio Hilarii, 10 de Trinit., col. 6, cujus verba D. Thomas refert; et similia habet canone 31 in Matth., quem imitatus Hieronymus, Matth. 26, negare videtur Christum habuisse timorem patiendi: *Ad hoc enim, inquit, venerat, et Petrum timiditatis arguerat.* Et similiter August., enarrat. 2 in Psalm. 21,

indicat verba illa, *Transeat a me calix iste*, non fuisse indicium timoris, quia non est, inquit, *fortior miles quam dux.* Denique Epiphani., in Anchorato, significat Christum non vere timuisse, sed dissimulasse fortitudinem, ad provocandum adversarium. Respondetur primum, Hilarium eo sensu locutum esse de timore Christi, sicut de tristitia. Ita respondet D. Thomas. Addo tamen Hieronymum et Hilarium aperte posuisse timorem in Christo, sed de objecto illius timoris videntur illis locis disputare, et singulari modo sentire; indicant enim illum timorem non fuisse de malo, seu incommodo naturæ, quod est in morte, atque adeo non fuisse naturalem affectum timoris, sed potius fuisse profectum ex charitate ad populum judaicum, et objectum illius fuisse ruinam et destructionem illius populi, futuram ex occasione mortis Christi; et eodem fere modo loquitur Hieronymus de tristitia Christi, et ponderat non dixisse Evangelistam, Christum fuisse contristatum propter mortem, sed, *usque ad mortem.* Quam sententiam indicat etiam Basil., lib. 4 contra Eunomium, sub finem. Sed, ut verum sit potuisse Christum etiam hoc malum formidare, negandum tamen non est quin etiam permiserit naturæ suæ, explicare suum bonum affectum, atque adeo timore mortem, ut erat malum naturæ et naturali inclinationi contrarium, quod satis indicant illa verba Christi: *Transeat a me calix iste.* Illud enim verbum, *a me*, satis ostendit eum formidasse bibere illum calicem, ut erat malum suum. Quod enim Hilarius exponit, Christum non orasse ut a se transiret calix, ita ut ipse non biberet, sed etiam ut post illum alii sectatores ejus illum biberent, scilicet, martyres, hoc (inquam) mysticum potius est quam litterale, ut satis constat ex verbis a Christo subjunctis: *Si fieri non potest nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Nec dissimile est quod Hieronymus ait, Christum non orasse simpliciter ut calix transiret, sed, *calix iste*, id est, propinandus a Judæis; quod enim simpliciter formidaverit mortem, satis constat ex verbo illo: *Spiritus promptus est, caro autem infirma;* et ex Marco dicente, absolute orasse Christum, ut transiret ab illo hora; timuit ergo Christus mortem, non quidem ex absoluta voluntate, et desiderio non moriendi; voluntarie enim passus est, atque in ea voluntate fortior fuit omnibus martyribus; sed ex rationabili voluntate, qua permittebat naturæ suæ ut affectum suum ostenderet, ad naturæ ve-



ritatem et passionis acerbiter demonstrandam; et hoc vocavit Epiphanius, *dissimulare fortitudinem*, non fingendo falsum, sed occultando dæmoni veram fortitudinem et divinitatem, sub vera humanitate latentem; et ideo dixit Augustinus, citato loco, portasse tunc Christum infirmitatem nostram; et ideo super Psalm. 93, dicit tunc dedisse Christum futuris Sanctis exemplum patientiæ, cum orant et petunt liberari a malis, et tribulationibus suis, et non exaudiuntur. Addit præterea Cyrillus, lib. 10 Theos., c. 3, Christum illo suo timore fortitudinem martyribus meruisse. De qua re optime loquitur Damasc., lib. 3 de Fide, c. 18; Bernard., serm. 1 de S. Andrea.

8. *Malum facile, sed non honeste vitabile, objectum timoris esse potest.* — Tertium argumentum D. Thomæ est, quia timor est de malo, quod facile vitari non potest; Christus autem facile poterat omne malum suæ naturæ superare, ad quam rationem alludens supra Hilarius, inquit: *Quem dolorem mortis suæ timeret, potestatis suæ libertate moriturus?* Respondet optime D. Thomas, Christum per inferiores vires naturæ suæ non potuisse facile vitare futura mala, et hoc satis fuisse ut per appetitum sensitivum timere posset. Secundo, addi potest non satis esse posse vitari malum, nisi honeste id fieri possit, et convenienti ratione; propter quod matres poterant quidem vitare mortem consentiendo tyrannis, non tamen sancte et honeste; unde etiam fit nihil referre illam potestatem ad excludendum timorem, si quis habeat firmum propositum non utendi tali potestate; et ideo fieri recte potest ut quis voluntarie assumat aliquod malum vel dolorem, et tamen quod per appetitum sensitivum illud fugiat et timeat, ut ipsa experientia satis compertum est. Notavit hoc Richard., in 3, dist. 15, art. 4, q. 3, ad 4.

#### ARTICULUS VIII.

##### *Utrum in Christo fuerit admiratio.*

1. *Ad octavum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit admiratio. Dicit enim Philosophus, in primo Metaphysic. 2, quod admiratio causatur ex hoc, quod aliquis videt effectum et ignorat causam. Et sic admirari non est nisi ignorantis. Sed in Christo non*

<sup>1</sup> 4 cont.; c. 33, fin.; et Mat. 7, col. 5, fin;  
<sup>2</sup> C. 2, in med., tom. 8.

*fuit ignorantia, ut dictum est 1. Ergo in Christo non fuit admiratio.*

2. *Præterea, Damasc. dicit 2 lib. 2, quod admiratio est timor ex magna imaginatione; et ideo Philosophus dicit, in 4 Ethic. 3, quod magnanimus non est admirativus. Sed Christus fuit maxime magnanimus. Ergo in Christo non fuit admiratio.*

3. *Præterea, nullus admiratur de eo quod ipse facere potest. Sed Christus facere poterat quidquid magnum erat in rebus. Ergo videtur quod de nullo admirabatur.*

*Sed contra est quod dicitur Matth. 8: Audiens Jesus (scilicet, verba centurionis), miratus est.*

*Respondeo dicendum, quod admiratio proprie est de aliquo novo et insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid novum et insolitum, quantum ad scientiam divinam, qua cognoscebat res in Verbo; neque etiam quantum ad scientiam humanam, qua cognoscebat res per species inditas; potuit tamen aliquid esse sibi novum et insolitum, secundum scientiam experimentalem, secundum quam sibi poterant quotidie aliqua nova occurrere.*

*Et ideo, si loquamur de ipso quantum ad scientiam divinam, et scientiam beatam, vel etiam infusam, non fuit in Christo admiratio. Si autem loquamur de eo quantum ad scientiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit. Et assumpsit hunc defectum ad nostram instructionem, ut, scilicet, doceat esse mirandum quod etiam ipse mirabatur. Unde dicit Augustinus, in primo super Genes. contra Manichæos 1: Quod mirabatur Dominus, nobis mirandum esse significat; quibus ad hoc opus est sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri.*

*Ad primum ergo dicendum quod, licet Christus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de novo occurrere experimentali ejus scientiæ, ex quo admiratio causaretur.*

*Ad secundum dicendum, quod Christus non admirabatur de fide centurionis, ea ratione quod esset magna quantum ad ipsum, sed quia erat magna quantum ad alios.*

*Ad tertium dicendum, quod ipse poterat facere omnia secundum virtutem divinam, secundum quam in eo admiratio non erat, sed solum*

<sup>1</sup> Art. 3 hujus quæst.

<sup>2</sup> Orth. fid., c. 15.

<sup>3</sup> Cap. 3, ad fin., tom. 5.

<sup>4</sup> C. 8, non procul a fin., tom. 13.

*secundum humanam scientiam experimentalem, ut dictum est 1.*

#### COMMENTARIUS.

1. Duo sunt in hoc articulo difficilia. Primum est, an propria et vera admiratio sit in Christo ponenda. Secundo, esto illa fuerit in Christo, an illa pertineat ad appetitum sentientem, de cujus actibus nunc disputamus. Ratio prioris difficultatis est, quam hic tetigit D. Thomas, argumento 1, quia admiratio ex ignorantia procedit; est enim admiratio, ut idem D. Thomas dicit, 1. 2, q. 32, a. 8, desiderium sciendi, ortum ex visione effectus, et ignorantia causæ, quod ex Aristotele etiam colligitur, 1 Metaphy., cap. 2; sed in Christo non habuit locum ignorantia; ergo nec admiratio. Et augetur difficultas, quia nulla est ratio seu fundamentum sufficiens ut affectum hunc Christo tribuamus; quia, licet semel in Evangelio dicatur, Matth. 8, et Luca 7: *Et miratus est Jesus*, non constat autem an id dictum sit, quia in se passus est aliquem admirationis affectum, an vero quia signis ostendit fidem illam centurionis fuisse hominibus admirandam; in hunc enim sensum videtur interpretari locum illum August., 1. 4 de Genes. contra Manich., c. 8, et lib. 4 contra Adversar. legis et Prophet., c. 7, et 1. 22 contra Faust., c. 13, quem imitati sunt Ansel., Matth. 8; et Bed., lib. 2 in Matth., c. 8, et lib. 2 in Luc., c. 15. Alii vero Patres nihil fere dicunt, nam Chrysestom., homil. 27 in Matth.; et Hilar., can. 7, tantum simpliciter dicunt Christum fuisse miratum.

2. Nihilominus responsio D. Thomæ est, in Christo fuisse proprie admirationem, quia secundum scientiam experimentalem potuit illi occurrere aliquid novum et insolitum, ex quo propria admiratio nascitur. Quod confirmat, quia hic affectus Christi potuit ad nostram instructionem deservire; et ita explicat Augustinum supra citatum. Nam, licet dicat Christum fuisse admiratum propter nostram instructionem, non tamen dicit fuisse admiratum solum secundum speciem et signa externa, sed vere; ita enim se gessit exterius, sicut interius erat dispositus per veram admirationem; *que fuit*, inquit Augustinus, *motus animi Christi, non perturbati, sed voluntarie operantis propter nos.* Et confirmatur tandem ex illa generali regula, quia verba Evangelii,

<sup>1</sup> In corp. art.

si commode possunt, proprie sunt intelligenda, et facta Christi non ficte, sed vere interpretanda. Et hanc sententiam ita expositam sectantur discipuli D. Thomæ, et recentiores Evangelii expositores, ut Cajet., Jansen., et alii. Et mihi vera esse videtur.

3. Ut vero explicemus et rationem D. Thomæ et modum hujus admirationis, et in quo ipsa consistat, advertendum est admirationem aliquid in cognitione requirere, et aliquid in appetitu ponere. Sed quoniam varii sunt admirationis modi, ut Augustinus tractat, epist. 101, non omnis admiratio eandem cognitionem supponit, neque eundem affectum importat. Primo ergo admiratio oritur interdum ex ignorantia causæ, viso effectu, et consistit in desiderio sciendi, ut supra objiciebam; et hæc admiratio non videtur posse tribui Christo, etiam secundum naturalem scientiam, quia, viso effectu, etiam per hanc scientiam cognoscebat omnes causas ejus, quantum per hanc scientiam cognosci possunt. Cum autem desiderium ejus ordinatum esset, non appetebat scire per hanc scientiam, nisi quod sub illam cadere potest. Dicere tamen forte quis potest, habere posse locum hanc admirationem respectu cognitionis experimentalis; potuit enim Christus interdum experiri effectum, et non causam, et desiderare experimento cognoscere causam ipsam. Sed hoc mihi non satis placet, tum quia causæ non cognoscuntur experimento distincto ab experientia effectuum qui ab illis procedunt, sed ex hoc experimento ad scientiam proceditur; tum etiam quia admiratio Christi, præsertim illa quam in Evangelio legimus, erat de effectu, cujus causa sub sensum experimento cadere non poterat, scilicet, de fide centurionis. Secundo ergo admiratio oritur ex apprehensione rei magnæ et singularis, etiam si alias cognita sit, ut Augustinus supra dicit; et hæc requirit in intellectu judicium de rei magnitudine, vel simpliciter, vel in ordine ad aliquem; ut, cum admiramur scientiam pueri, quæ, licet in se magna non sit, est tamen magna et insolita respectu illius ætatis. Præter hoc tamen necessarium est ut res hujusmodi novo aliquo modo cognoscatur, alias non excitat admirationem, et propterea in Deo non habet locum admiratio, tum quia illi nihil est magnum, etiam in ordine ad alios, quia quidquid ab aliis fit, ab illo fit, et facile illi est, etiam per alios, magna operari; tum etiam quia nihil novo modo cognoscit. In appetitu autem oritur ex hac